



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IV. De prioritare causæ in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

à causa quoad entitatem naturali: alterum vero in eius productione à causa non existenti. Ad tertium: à loco ad tempus perperam arguitur: aliàs qua ratione causa effectum à se loco distitum producere potest, eadem ratione effectum à se tempore distantem producere posset: & sicut contiguitas localis vnde quaque sit, æquè ad operandum sufficit: ita contiguitas temporanea vnde quaque esset, & siue causa effectum anteverteret, siue immediate subsequeretur; ea, inquam, contiguitas ad operandum sufficeret: quæ tamen Thomistæ diffidentur.

TRACTATUS IV.

De prioritate causa in communi.

CAPVT PRIMVM.

An prioritas naturæ eiusdem respectu sui possibilis sit?

I. **D**EST: an aliquid se ipsum immediate causare, seu ipso immediate prius naturæ esse possit? Prioritas autem naturæ, cuius meminit Aristoteles in postprædicamentis & 3. Metaphys. cap. 1. in eo præcisè sita est, quod aliquid sit causa alterius: vnde illud in aliquo signo naturæ prius alio existit, quod est causa alterius, vel alterius causam intrinsece complet, & constituit; illud que in aliquo signo naturæ posterius alio existit, quod alterius effectus est. Prioritas naturæ alia est in actu primo, qua causa effectum causare potest: alia in actu secundo, qua cum actu causat. Deinde prioritas naturæ alia est in quo: alia est à quo. Prioritas naturæ in quo est prioritas naturæ cum prioritate temporis coniuncta: cum enim prioritas in quo sit prioritas temporis, sicut prioritas à quo est prioritas naturæ, sanè prioritas naturæ in quo erit vtriusque prioritatis complexio quædam: quare tum causa effectum prioritate naturæ in quo anteverteret, cum causa effectum prior tempore fuerit: prioritas naturæ à quo est mera prioritas naturæ, ut iam iam aiebam.

2. Prioritati naturæ affinis est duplex alia prioritas, originis nimirum, & virtualis: prioritas originis est, qua vnum aliud realiter producit, aut producere potest absque eo, quod alterius causa sit; hæc prioritas in solas personas diuinas conuenit, & Theologici muneris est. Prioritas virtualis, est qua vnum alterius principium non reale, sed virtuale est: sicut enim quod realiter distinguitur ab alio, illud realiter causare, & producere potest haud raro: ita similiter quod virtualiter distinguitur ab alio, illud sæpè sæpius producere, & causare poterit: quoties autem duo prædicata virtualiter distincta ita inuicem comparata sunt, ut si realiter distincta essent, vnum realiter ab alio causaretur; tunc vnum virtualiter aliud causat, atque producit: qua ratione cognitio diuina amorem diuinum virtualiter causat, & producit; quia si ab eo esset realiter distincta, eum realiter produceret: haud secus ac cognitio creata amorem à se realiter distinctum in aliquo genere causæ realiter causat, & producit. Deinde quoties duo prædicata virtualiter distincta respiciunt connotata

naturæ priora, & posteriora, seu inuicem realiter producta, & producentia; tunc prædicatum illud, quod respicit connotata naturæ priora, erit prius virtualiter prædicato, quod respicit connotata naturæ posteriora: qua ratione animalitas rationalitatem, & intellectus voluntatem virtualiter antecedunt: nimirum quia sensus discursus, & intellectus volitionem naturæ antecedunt, & realiter causant.

Quibus constitutis, negatiua pars questionis in titulo præfixæ suadet. Primo à priori: quia causa est principium influens esse in aliud: ergo in se ipsam influere, seu ipsam causare nequit. Secundo à posteriori: quia ex processione diuinarum personarum, qua secunda à prima, & tertia à secunda, & prima realiter procedit, earum realis distinctio colligitur, iuxta illud Theologicum effectum à nemine non receptum: in diuinis omnia sunt vnum, nisi ubi obest relationis oppositio: at, si idem se ipsum causare, aut producere posset, ex productione, qua aliæ personæ diuinæ ab aliis realiter producantur, perperam earum realis distinctio colligeretur. Tertio: quia si idem se ipsum realiter producere, aut causare posset; cur naturæ diuinæ improducta est, cur se ipsam non producit, & ens à se non solum negatiue, verum etiam positiue est? Quarto: quia nequit aliquid esse prius, & posterius tempore se ipso, ut manifestum est: igitur nequit aliquid esse prius, & posterius naturæ se ipso: siue, quod perinde est, sui ipsius causa, & effectus. Demum id ipsum Patres perspicue docent: vnum pro omnibus sufficiat Bernardus de considerat. ad Eugenium lib. 5. prope medium ibi: à se cepit nihil nisi forte quis putauerit, quod non erat dare sibi potuisse, ut esse inciperet, aut fuisse aliquid, antequam esset: quibus verbis non imbecillis nostræ sententiæ ratio continetur.

4. Verum P. Suarez tom. 3. in 3. p. disput. 66. sect. 1. docet, idem causare posse se ipsum immediate per secundam actionem, qua aliam naturam priorem supponat; & hac ratione Christum à se ipso physice causari sub speciebus Eucharistiæ. Contra tamen: quia non esset, cur tertia persona à semetipsa improducta esset; seque ipsam per secundam actionem non produceret: sic enim produci imperfectionem in eo arguere nequit; aliàs à Patre, & Filio produci non posset; aliunde verò cum identitate tertiæ personæ secum ipsa coheret. Contra secundo: quia mutua prioritas naturæ repugnat, ut cap. sequenti ostendam, & à P. Suarez admittitur: at in hac eius sententia mutua prioritas declinari non potest: siquidem actio illa secunda existentia per eam producta prior natura esset, cum de conceptu actionis ut sic ea prioritas sit, ut vel ipse Suarez testatur 1. 2. tract. 3. disp. 8. sect. 2. ibi: ordine naturæ actio antecedit terminum, &c. Deinde existentia, à qua actio illa procedit, ea aperte prior est: igitur existentia, & actio, qua se producit, mutuo priores sunt. Rursus: si causa aliqua quoad secundam actionem se se producere posset, etiam quoad primam actionem, aliamque non supponentem se se producere posset: siquidem secunda illa actio, aut est adæquata; & ita se sola sine consortio alterius, cuiusve actionis poterit tribuere esse suo termino: ac proinde esse prima actio, per quam terminus existat & producatur: aut est in adæquata; & ita coniuncta cum alia

alia actione etiam inadæquata efficiet vnam actionem adæquatam, & totalem; quæ cum sine consortio alterius cuiusvis esse possit; sanè actio illa ex parte prima esse poterit, siue ea per quam terminus à se ipso primo producat.

CAPVT II.

An mediata prioritas nature eiusdem respectu sui possibilis sit?

5. **I**dest: an idem se ipsum mediata causare possit; siue an duæ causæ mutuo sibi causæ esse possint? Pars negatiua, si de mutua prioritate, & causalitate in eodem genere sermo sit, omnibus sanctissima est, & suaderi potest: primò authoritate Patrum, præsertim Gregorij Thaumaturgi disp. de anima ibi: *nisi forte ita quis insanias, ut id quod non est, eius quod est, causam esse affirmet: aut rursum cuius illud ipsum quod est, ex alio suspenderit, ut absque illo esse nequeat, eius ipsius, ex quo pendet, causam esse velit*: quæ verba mutua prioritatem saltem in eodem genere apertissime demonstrant. Secundo: quia si mutua illa causalitas, & prioritas non repugnaret; idemque in eodem genere sui ipsius causa mediata esset: sanè aliquid sui ipsius vera, & propria causa esset: siue, quod perinde est, immediata sui causa esse posset, ut intuitu perspicuum erit. Consequens autem absurdum esse cap. præcedenti ostensum est. Tertio: quia mutua prioritas in quo, siue temporis repugnat: ergo etiam mutua prioritas à quo, siue nature saltem in eodem genere repugnat.

6. Verum Thomistæ de mutua causalitate in diuerso genere diuerso modo philosophantur, eamque non repugnare arbitrantur: quos tamen impugnare arduum, & difficile non est. Primò à paritate rationis: siquidem mutua causalitas, siue prioritas in eodem genere iuxta ipsos repugnat: ergo etiam in diuerso genere: quæ enim vtrinque disparitatis ratio assignari potest? Secundo: quia mutua prioritas temporis, siue in quo omnino repugnat, siue inter res eiusdem generis, siue inter res diuersi generis intercedat: quò enim pacto tenebræ crastinæ luce hodierna posteriores tempore, eadem priores esse possunt, quantumvis lux, & tenebræ diuersi ordinis sint: igitur mutua prioritas, à quo, siue nature omnino repugnabit, siue in eodem, siue in diuerso genere sit. Tertio: quia in sententia Thomistica, cur stando rationi Spiritus Sanctus in diuerso genere principij Patre, & Filio mutuo prior esse non posset? Demum: quia iuxta aduersarios pro priori nature, quo accidentia in genere causæ dispositiue formam ignis antevertunt, ad eamque disponunt, intelliguntur existentia dependenter ab omnibus suis causis: at non dependenter à forma ignis nondum existentis: igitur forma ignis causa efficiens esse nequit accidentium eorum, à quibus dispositiue causatur.

7. Opponunt Thomistæ, introductionem vnius forme, & expulsionem alterius mutuo priores, & posteriores esse. Secundo, dispositiones ad formam ignis eam præcedere in genere causæ materialis, seu dispositiue, eamque subsequi in genere causæ efficientis. Tertio actionem creatiuam esse priorem in genere causæ efficientis suo termino, eoque in genere causæ materialis posteriorem esse, in eoque suscipi. Quarto, contritionem, qua quis ad gratiam disponitur, ab eo procedere effici-

R. P. Lyncei Philosophia Tom. II.

cienter; ea que priorem, & posteriorem esse. Quintò demum, actum charitatis in instanti, quo urget præceptum diligendi Deum, esse causam, ut in eo instanti gratia conferretur: utpote quæ amitteretur, si in eo instanti charitatis actus à Deo præceptus non eliceretur: at eundem actum à gratia produci, eaque posteriorem esse. Verum hæc argumenta non vrgent. Ad tria prima decursu Philosophiæ constabit. Ad duo postrema argumenta Theologica respondeo, actum contritionis, & actum charitatis præceptum ab auxilio extrinseco non à gratia, aut charitatis habitu effici. Sed de his latius alibi.

8. Recentiores nostri aliter mutuam prioritatem defendunt, censentque duobus ignibus à Deo productis fieri posse, ut pro posteriori signo nature ignis A. per secundam actionem ignem B. producat, & e conuerso: cum enim alteruter ignis à Deo adæquatè, & sufficienter producat: quid vetat, pro posteriori vnum produci ab alio per secundam actionem; siquidem ab alio pro priori nature à Deo productus independet: aut quid vetat, pari ratione alium à priori per secundam actionem produci? Contra tamen: quia implicat, aliquid causare aliud per secundam actionem: siquidem secunda illa actio rem existentem supponit, & ob id secunda appellatur: igitur ad hoc, ut existat, determinare nequit: ac proinde nec existentiam rei causare. Consequentia perspicua est: quia si secunda illa actio rem existentem essentialiter supponeret, ad eius existentiam determinare, eamve causare non posset, ut aduersarij fatentur, & merito: alias cur creatura aliqua ad existentiam Dei determinare non posset, quamvis Deum existentem essentialiter supponat: igitur actio in euentu, quo rem existentem hæc, & nunc supponit, ad eius existentiam hic, & nunc non determinabit. Deinde: mutua prioritas temporis etiam assignatis eidem rei duabus durationibus adæquatis omnino repugnat, ut intuitu perspicuum erit: igitur etiam mutua prioritas nature ne munere plurium actionum adæquatarum, primæ videlicet, & secundæ possibilis erit.

CAPVT III.

Quatenus prioritas temporis, & natura distinguatur.

9. **P**rima sententia est, eas distingui, velut superius, & inferius; aut speciem, & genus: ad modum, quo homo, & animal distinguuntur, & non velut duas species, aut duas rationes æquè immediatas eidem rationi communi: ad modum, quo species hominis, & species Leonis distinguuntur: quemadmodum enim omnis homo est animal, & non è contrario: ita iuxta hanc sententiam omnis prioritas temporis duarum rerum est prioritas nature inter durationes earundem, & ea, qua duratio vnius rei durationem alterius nature antecedit: è conuerso verò omnis prioritas nature prioritas temporis non est, ut in causa, & effectu mutuo coruicis cernere est: vnde utraque prioritas tanquam superius, & inferius more hominis, & animalis comparantur. Hanc sententiam Recentiores ingenio nobiles tuentur. Quorum vnicum fundamentum est: quia, quod res aliqua sit prior intentionaliter, siue in cognoscendo alia, est prioritas nature vnius cognitionis ad

P 2 aliam

aliam: ideo enim in demonstratione à priori causa est prior intentionaliter, siue in cognoscendo, quàm effectus: quia cognitio causæ est prior naturæ cognitione effectus, eamque infert, atque concludit: igitur similiter, quod aliqua res sit prior tempore, seu duratione, quàm alia: est sola prioritas naturæ vnius durationis ad aliam: igitur omnis prioritas temporis est prioritas quædam naturæ, licet non è conuerso: ac per consequens velut species, & genus comparantur.

10.

Secundò: eadem sententia ex Durando in 2. q. 2. suaderi potest: quoties vna duratio est prior naturæ, quàm alia duratio; res, quæ durant, ita institutæ sunt, vt vna sit prior tempore, quàm alia: igitur omnis prioritas temporis est prioritas naturæ durationum, quàmuis non è conuerso: ac proinde tanquam superius, & inferius comparantur. Antecedens suadetur: quoties vna duratio est prior naturæ, quàm alia inter res etiam, quæ durant, vna est prior duratione, quàm alia: sicut si vna duratio sit maior alia, & illam excedat, inter res, quæ durant; opus est, vt altera alteram duratione excedat; vnaque plusquam alia duret: at rem aliquam esse priorem duratione, quàm aliam, est esse illam priorem tempore: haud secus ac rem aliquam excedere aliam duratione, est excedere illam tempore, & plus temporis conficere: ergo &c. Tertiò: expendo pro eadem sententia Clementem Alexandrinum 8. Stromat. pag. penult. ibi: *quia non potest idem simul, & tempore esse prius quoad materiam, quatenus est causa, & tempore esse posterius, quatenus est opus causa*: quasi diceret, catenus aliquid esse prius, aut posterius tempore, quatenus est causa, vel effectus, siue prius, aut posterius naturæ.

11.

Cæterum: secunda, & contraria sententia, nimirum prioritatem temporis duarum rerum non esse prioritatem naturæ durationum, quibus eiusmodi res pollent, & ambas prioritates velut rationem superiorem, & inferiorem neutiquam comparari, facile suaderi potest: quia ordo, siue prioritas naturæ est ordo causæ, & effectus: at duratio prior tempore ex natura rei nequit esse causa eius durationis, quæ sequutura est, cum ambæ in eodem instanti non coëxistant, nec diuinitus possint: igitur altera prior naturæ, quàm altera, esse nequit: ac per consequens in eiusmodi prioritate naturæ prioritas temporis sita esse nequit. Secundò, quia probabilius est, creaturam permanentem ab æterno produci, & Deo coæuam existere posse: at duratio Dei ab eius omnipotentia realiter indistincta durationem eius creaturæ causaret, eaque prior naturæ esset, quin tamen Deus prior tempore eiusmodi creatura esset: igitur prioritas naturæ durationum non est prioritas temporis rerum, quæ durant.

12.

Tertiò: quotiescunque causa aliqua effectum suum producit, duratio causæ in hoc instanti est prior naturæ duratione effectus in eodem instanti: at non quotiescunque causa effectum producit, eo prior tempore est: igitur prioritas illa naturæ prioritas temporis non est. Maior perspicua est: quia duratio causæ in hoc instanti eam ad operandum in hoc instanti complet ex natura rei: igitur est prior naturæ effectui, & eius duratione. Tandem à paritate rationis: quia prioritas quoad locum non est species prioritatis naturæ, nec rem aliquam loco priorem alia esse in eo situm est, quod vbicatio vnius vbicationem alterius naturæ

anteuertat: ergo similiter &c. Antecedens suadetur: tum quia vnum elementum est prius loco, quàm aliud elementum sibi contrarium: at vbicatio vnius vbicatione alterius prior naturæ non est: quemadmodum enim vnum elementum aliud sibi contrarium non causat, sed destruit: ita similiter vbicatio vnius vbicationem alterius causare, aut conseruare non poterit, sicut ad prioritatem naturæ oportet.

Ad primam rationem contrariam respondeo: cognitio vnius obiecti cognitione alterius obiecti prior naturæ, eiusque causa esse potest: vnde prioritas in cognoscendo in eiusmodi prioritate naturæ cognitionum consistere poterit: at fieri nequit, vt duratio anterior sit causa durationis posterioris, eamque natura anteuertat: atque adeo prioritas temporis in eiusmodi prioritate naturæ sita esse nequit. Ad secundam rationem respondeo, falsò in ea supponi prioritatem temporis consistere in prioritate durationis quomodolibet intellecta: siquid rem aliquam esse priorem duratione respectu alterius, æquiuocè, & bifarià sumi potest. Primò, vt sit idem, ac durationem vnius rei esse priorem naturæ duratione alterius, & ita cum prioritate temporis non coincidit. Secundo, vt sit idem, ac durationem vnius rei esse priorem tempore duratione alterius: & ita non differt à prioritate temporis, qua vna res durans aliam antevertit. Ad tertiam rationem respondeo, D. Clementem solum voluisse causam vt plurimum anteedere etiam tempore effectum: quod verissimum est, verum nobis officere nequit.

13.

TRACTATUS V.

De propinquitate causæ in communi.

CAPVT PRIMVM.

An, aut quatenus causa in distans operari possit?



R I M A sententia est, causam à passo omnino distantem in eo aliquid immediate operari posse, esto nihil in medio operetur: ita cum Scoto Scotistæ omnes, necnon Auicenna, Okamus, Gabriel, & alij Nominales apud Patrem Suarez disp. 18. Metaphys. sect. 8. n. 2. Secunda sententia est, causam à passo omnino distantem nihil in eo immediate operari posse, quantumuis aliquid in medio prius operetur: ita cum S. Thoma 1. p. q. 8. art. 1. & 3. Caiet. Capreol. Ferrara, & plerique Thomistæ, quibus extra scholam Thomisticam Durandus, Molina, Conimbricenses, aliique plures adherent. Tertia sententia & inter duas priores media, est, causam efficientem creatam immediate quidem operari posse in passum à se omnino distans, si tamen prius natura aliquid in medio operetur: secus vero si nihil in eo operetur. Hæc sententia à P. Suarez disp. 16. Metaphys. sect. 8. defenditur, & à P. Hurtado disp. 9. Physicor. sect. 6. & P. Arriaga d. 7. Physic. sect. 6. & inter Philosophos, ac Theologos nostræ Societatis hac tempestate non solum communis, verum etiam vnanimi, & pleno

fermè